

exequi Pœnitentiam sibi à Confessario injunctam; in hoc enim casu absolvendus est, & permittendum, ut satisfaciatur in Purgatorio. Inhabilitas physica est gravis infirmitas, vel imminens periculum vitæ in naufragio, vel in bello; tunc enim impossibile est dare, ac recipere pœnitentiam; unde, ea omiffa, pœnitentes sunt absolvendi. Eminent. Card. de Lauræa d. disp. 22. num. 153. quia Deus non obligat ad impossibilia. Moralis inhabilitas cenfetur esse vel nimis labor corporis, vel nimia debilitas mentis; certum est enim, quod artifices, rustici, bajuli, alique victum sibi comparantes gravibus corporeis laboribus non possunt moraliter accipere jejunia, aliaque corporis austeritates, prout neque qui patiuntur animi debilitatem ob melancholiam, aut aliam imperfectionem, non sunt habiles ad suscipiendas pœnitentias jejuniorum in pane, & aqua, ad longas preces recitandas, solitariamque vitam degendam; & ideo hi omnes reculare possunt satisfactiones sibi moraliter impossibiles, & petere, ut aliæ sibi faciliores injungantur, vel absolvantur absque alia pœnitentia, acceptantes eam facere in Purgatorio; & in hoc sensu id licitum esse, ait Scotus in 4. disp. 19. §. ad questionem moxam. D. ut Magistrus advertit d. disp. 5. num. 589. & Eminent. Card. de Lauræa d. disp. 22. num. 138. ex quibus justificatur subtilissimi Doctoris assertio, quæ non est universalis, & in quacunque confessione; sed in casu tantum physice, vel moralis inhabilitatis, & quando Confessarius esset indiscretus, & imponeret pœnitentias incongruas, & inadaptabiles statui ipsius pœnitentis contra *tex. in cap. Alligant. 26. quæst. 7. ubi damnantur Sacerdotes, qui imponunt pœnitentibus onera gravia, & importabilia, monenturque, ut benignos se præbeant; nam melius est errare in assignanda modica pœnitentia, quam gravi, quod renovatum fuit à Concilio Tridentino in cit. sess. 14. cap. 8. ubi præcipit Sacerdotibus, pro qualitate criminum, & pœnitentium facultate salutaris, & convenienter satisfactiones injungere.* Et in hoc pariter sensu mihi videtur locutus Navarrus in cit. cap. Consideret. §. Ponat. num. 8. de Pœnit. disp. 5. quod repetit etiam in Manuali cap. 26. num. 20.

Retenta itaque hac secunda opinione cum moderatione, seu limitatione supranotata, contraria opinio est pœnitens rejicienda; adeo ut si pœnitens reculeret congruam pœnitentiam, ac diceret, absolve me, satisfaciatur in Purgatorio, esse omnino repellendus à Sede confessionali, & dimittendus inabsolutus; nec tali instantiæ Confessarius cedere deberet; ut notat Gobatus d. tract. 7. num. 764. attestans, hanc opinionem in Germania esse pœnitentis ignotam. Neque subsistunt fundamenta contraria.

Non primum, Quia, etsi extra Sacramentum homo per se, & ex natura rei omittere possit satisfactionem pœnam pro suis peccatis in hac vita, & velle eas pari in Purgatorio; aliter est dicendum ex institutione, & susceptione Sacramenti Pœnitentiæ; quod cum sit ordinatum per modum iudicii, debet pœnitens, parere sententiæ Sacerdotis imponentis ei pœnam pro peccatis confessis, & non est verum, quod hoc Sacramentum obliget tantummodo ad obtinendam remissionem culpæ, & commutationem pœnæ æternæ; siquidem obligat ad illam satisfactionem pœnæ temporalis, quam Confessarius iudicat convenientem, ne iudicium mutuum remaneat.

Non secundum, Quia procedit de satisfactionibus debitis extra Sacramentum: sed de illis injunctis à Sacerdote, cui eum pœnitens se subiecit tamquam iudici, debet ejus sententiæ parere, & pœnitentiam injunctam acceptare, & persolvere.

Non tertium, Quia respondetur Purgatorium non

esse principaliter institutum à Divina Justitia pro illis, qui in hac vita voluerunt nullam facere pœnitentiam, sed pro iis, qui licet injunctam à Confessario fecerint, attamen non totaliter satisfecerint pro suis peccatis; atque ideo Purgatorium non est superfluum, quia ibi residuum pœnæ, solum Deo notum, remanet adhuc in Purgatorio lendum.

Non quartum, Quia voluntarium est iudicium Confessionis Sacramentalis ipsi pœnitenti, quatenus potest accedere, vel non accedere, ad talem Confessarium: sed quando accessit, & confessus est sua peccata, & vult absolvi ab eis, non est voluntarium reculare pœnitentiam, sed necessarium ob debitam obedientiam iudici, qui eatenus est ei remissurus culpam, quatenus acceptet, & adimpleat pœnitentiam.

Non quintum, Nam non currit comparatio de foro externo ad forum internum, quia supremum est; quia in hoc non datur appellatio, quia supremum est, & idem cum Divino, juxta illud quod supra notatum est: *Quæcumque alligaveritis super terram, erunt ligata & in celo. Matth. 18. 18.*

Non sextum, Quia procedit, quando acceptatio favoris, ac beneficii pendet à libera voluntate personæ privatæ, secus quando pendet à dispositione Principis, ut in casu nostro, in quo Christus tamquam Rex supremus ita disposuit hoc beneficium in Sacramento Pœnitentiæ sub modo iudicii, ut qui velit remissionem culpæ, & commutationem pœnæ æternæ; debeat acceptare, ac exequi pœnam temporalem, quam Sacerdos tamquam Juxdex voluerit imponere.

Non septimum, Quia concessio, quod à Confessario fit procuranda salus peccatoris; casu, quo per indiscretam pœnitentiam, ejus absolutio impeditur, poterit accedere ad alium Sacerdotem benigniorem, qui audita ejus Confessione, & considerata ejus habilitate moderabitur pœnitentiam, & sollicitus erit de ejus salute, absolutionem eidem impendendo.

Non octavum, Quia in casu gravis infirmitatis, vel mortis imminens est impotentia physica, ut dictum est supra n. 8. & tunc absolvi potest absque pœnitentiæ impositione, quia Deus non obligat ad impossibilia, ex *Trid. sess. 6. cap. 12. etsi, quando infirmus non sit pœnitens destitutus sensibus, imponitur ipsi etiam in eo casu modica quedam satisfactio, nempe unso pectoris, pronuntiatio Sanctissimorum nominum JESU, & MARIE; vel actus conformitatis Voluntati divinæ; ut innuit Gobatus d. tract. 7. num. 759. & Collegium Salmanticense d. tract. 6. cap. 10. n. 20. & 21.*

Non nonum, Quia, ut dictum est ad septimum, si reperiat Confessarius indiscretus, potest pœnitens ab eo recedere, ut fecit bajulus ille, cujus mihi fuit narrata historia; & alii Confessario prudentiori, & benigniori sua peccata confiteri.

Non Decimum, Quia non semper currit argumentum de parte ad totum, ut probat Calderinus *conf. 11. aliis 2. de Arbitr. & Barbosa loc. 82. n. 2.* nam sæpius sæpius multi possunt disponere de aliqua parte, sed non de toto. Sic in casu nostro Sacerdos potest minore pœnitentiam peccatori in aliqua parte ex aliquo honesto motivo, ut probat idem Gobatus d. tract. 7. num. 758. & *segg.* sed non potest totam dimittere, cum sit ipsa Pœnitentiæ pars integralis Sacramenti, & teneatur exercere officium iudicis completum, sententiando eum ad aliquam pœnam.

Non undecimum, Quia est, quod mortale non sit omittere pœnitentiam injunctam pro solis venialibus, vel pro mortalibus aliis confessis, in quo tamen non concordant omnes Theologi, quos refert Magistrus d. disp. 5. num. 604. adhuc tamen non inferitur ex hoc, posse relinqui maculis Sacramen-

mentum, & dari absolutionem absque acceptatione alicujus satisfactionis, quæ tamquam pars integralis non est omittenda.

Non Ultimum, Quia coram Deo dari potest plena satisfactio culpæ pro intensissimo dolore peccatoris, & ejus perfectam contritionem, ut in exemplis allegatis. Sed coram Ministro Dei, qui est Confessarius, attendenda est qualitas sui officii, nempe judicialis in Sacramento Pœnitentiæ, quæ requirit, ut pœnam imponat pœnitenti confesso, antequam illum absolvat. Quamvis concedant DD. ob summam illam contritionem licitum esse imponere exiguam pœnitentiam, ut faciebat Episcopus, de quo in secundo exemplo adducto.

Ceterum, ut cunctis pateat, quàm insipiens foret postulatio pœnitentis recusantis acceptare pœnitentiam à Confessario, ac dicentis velle satisfacere in Purgatorio; legat studiosus lector sequentem casum, quem de verbo per horum sumo ex S. Antonino in *Summa. part. 4. tit. 14. cap. 10. §. 4.* ubi ita scribit: *Cum quidam sceleratè viveret, visitatus à Domino, ut ad se rediret; incurrit gravem infirmitatem, & diutinam. Attædiatus autem ex prolixitate languoris rogabat frequenter Dominum, ut de carcere corporis duceret eum. Apparens autem una die Angelus Domini, ex parte Dei dedit sibi optionem eligendi quod magis vellet, adhuc per duos annos illam infirmitatem tolerare, & postea evolare ad Cælum; aut tunc moriendo per tres dies in Purgatorio permanere: At ille attendens ad breviteratem temporis, quod erat mansurus in Purgatorio; & longitudinem dierum, quibus infirmitatem jamdiu expectam adhuc erat passurus, elegit potius morari in Purgatorio per triduum, & mori. Exauditus ergo de hac luce migravit, ad ignem Purgatorium peregrans anima ejus. Inde ad horam ab exitu suo de hoc Mundo apparuit ei in Purgatorio Angelus Domini confortans eum. Interrogavitque eum, si illum recognoscere; & respondit: minime. At ille: ego sum Angelus Domini, qui tibi dedi optionem sumendi ex parte Dei, adhuc locum, scilicet veniendi, & triduum moram faciendi; an in illa tua infirmitate per biennium permanendi. Cui ille: Nequaquam vales esse Angelus Dei, quia ille mentiri non potest. Sed qui mihi hoc dixit, mendacium magnum expressit. Nam cum dixerit per triduum me hic moraturum; ego jam mansi in his maximis pœnis per plurimos annos. Angelus verò ad eum: Tu hic non fuisti, nisi per horam, ita quod adhuc habes hic manere quod restat. At ille: Roga Dominum meum, ut non respiciat ad insipientiam meam hoc eligendo; & tu pro me intercede apud eum, ut reducat ad vitam priorem, & ego ne dum per duos annos, sed quantum placuerit ei, paratus sum tolerare infirmitatem illam; quod & obtinuit. Unde vitæ restitutus patientissimè, & lætante omniem dolorem tolerabat, expertus pœnas Purgatorii. Huc usque S. Antoninus. En igitur, quàm stulta est petitio nolendi satisfacere in hac vita, & deserendi totam Pœnitentiam in Purgatorium, de cujus atrocitate pœnarum testimonia reddidi supra Decif. III. num. 9. & 10.*

Reasumendo hanc quartam conditionem Confessionis Sacramentalis, quod scilicet sit obedientis, id est quod Pœnitens paratus sit acceptare pœnitentiam ei à Confessario injunctam, illamque exequi; hæc est adeo urgens, & necessaria; ut prætermitti non possit absque peccato mortali, ubi ea esset gravis, vel ob mortalia peccata fuisset injuncta, ut firmat Collegium Salmantic. *disp. 6. cap. 10. num. 60. & Magistrus d. disp. 5. num. 604.* Imò si Confessarius peteret à pœnitente, ut adimpleret pœnitentiam ante absolutionem, teneretur ei obedire; De Sacramento Pœnitentiæ.

ut probat Eminentiss. Cardin. de Lauræa d. disp. 22. num. 154. & 155. contra Tamburinum de *Ex-pedit. Confess. lib. 4. cap. 2. §. 1. & n. 2.* ubi videtur adherere Theologis, in hac materia nimium laxantibus habenas. Reliqua, quæ concernunt materiam Satisfactionis, explicabuntur infra Decif. XXXIV.

## DECISIO XXXI.

## ARGUMENTUM.

Proponuntur novem principales casus, in quibus prior Confessio invalida est reiteranda. Quinque ex defectu contentis vel ob malum finem, vel non integre, vel absque dolore, ac proposito fe emendandi: vel non deserendi occasiones proximas (circa quas quatuor propositiones damnatæ referuntur): vel ob excommunicationem, à qua Contentens prius, quàm à peccatis non fuit absolutus. Redditur ratio, cur excommunicati, etsi indignè, validè tamen recipiant omnia Sacramenta, non autem illud Pœnitentiæ. Alii quatuor casus repetendæ Confessionis invalidæ ex defectu Ministri, vel scti Sacerdotis, vel non approbati, vel dormitantis, vel indocti. Curiosus successus R. P. Francisci Suarezii eximii Theologi, dum rusticaretur penes Conimbricam.

## SUMMARIUM.

- 1 Malum ob finem facta Confessio an sit valida?
- 2 Veniale peccatum commissum in Confessione non irritat illam.
- 3 Integra si non sit Confessio absque legitima causa, est repetenda.
- 4 Sacrilegam post Confessionem alia bona fide facta non sunt iteranda.
- 5 Peccatum inculpabiliter non dictum in Confessione, non facit eam nullam.
- 6 Propositi ob defectum Confessio est invalida, ac repetenda.
- 7 Occasiones peccandi alie remote, alie proxime. Et quæ tales sint?
- 8 Propositiones quatuor damnatæ circa occasionem proximam non deserendam.
- 9 Excommunicatio pœnitentis quando reddat ejus Confessionem nullam.
- 10 Sacramenta omnia etsi indignè, validè tamen recipiuntur ab excommunicato, excepta Pœnitentiæ. Et cur?
- 11 Absolutio à censuris in Sacramento Pœnitentiæ an omittenda ante absolutionem à peccatis?
- 12 Laicus simulans se Confessarium à S. Inquisitionis Officio puniendus.
- 13 Laico facta Confessio, & ab eo data absolutio est invalida.
- 14 Confessarius non approbatus ab Episcopo nulliter absolvit: nisi communi errore credatur habere facultatem.
- 15 Dormitans, aut non audiens Confessarius an validè absolvat?
- 16 Ignorantia, & inscitia Confessarii an reddat invalidam Confessionem?
- 17 Francisci Suarezii successus curiosus circa Cappellanum, & Parochum ignorantes absolutionem Sacramentalem.
- 18 Monitorio ad Prelatos circa examen Confessariorum.
- 19 Repetenda quando est Confessio, quomodo sit faciendæ repetitio?
- 20 Confessio est non unica vice completa valet.

Differimus hucusque de quatuor necessariis conditionibus Sacramentalis Confessionis ad ejus validè

validitatem, nempe de examine conscientiæ, de integritate, de fidelitate, ac de obedientia pœnitentiæ erga præcepta Confessarii; porro, quia tum ex deficientia prædicatorum conditionum, tum ex aliis defectibus vel pœnitentiis, vel Confessarii confessio remanet invalida, & opus est eam repetere, idcirco in presenti referendi sunt casus principales, in quibus confessio jam facta est iterum repetenda, vel ob defectus Pœnitentiis, vel Confessarii. Et quidem quo ad defectus Pœnitentiis.

Primus casus est; si Pœnitens accedat ad Confessionem, non principaliter, ut sua constetur peccata, sed ob aliquem malum finem. Et tunc oportet distinguere; vel finis est malum mortale; vel tantum veniale. Sit exemplum: Matrōna aliqua habet pecuniam dandam ad vivum timorato, cimentum Deum, ac frequentat Sacramento. Petrus libertinæ vitæ, ut prædicit Matrōnam salutat, ac se devotum, timoratumque fingat, accedit ad Confessarium, suaque confitetur peccata, & medio procenterarum id facit pervenire ad aures ejusdem Matrōnæ, quæ consentit dare pecuniam ipsi Petro; cujus tamen bona sunt anterioribus creditibus hypothecata, ac fideicommissis subjecta; ad eundem livellus conficitur in damnum irreparabile livellantis, ut quotidie prædicator nostræ ætate. Uti que illæ Confessiones Petri sunt invalidæ, & prorsus repetendæ, tamquam factæ cum fine mortaliter malo, scilicet decipiendi Viduam in futuro contra. Idem esset decipiendi in Presbytero malæ vitæ, ac indocto, qui ad percipiendum beneficium, fingeret se devotum, frequentando Confessiones coram aliquo simplici Sacerdote, qui ex sua simplicitate testaretur collatori, Presbyterum prædictum esse eximiam bonitatis. Vel si famulus, ad majorem libertatem furandi in domo Heri, Confessiones ageret coram Parocho, ut apud Herum optimam sui ipsius opinionem nutriet. In his, & similibus casibus ob pravum finem invalidæ essent Confessiones, infectæ malicia decipiendi proximum; & omnia peccata in prædictis Confessionibus exposita iterum forent repetenda. Sotus in 4. dist. 18. quest. 3. art. 3. ad 3. Navarrus in Manuali cap. 21. num. 40. hanc reddens rationem, quia omnis actus, cujus finis mortalis est, ipse quoque talis est, cap. Cum Minister. 28. quest. 5. & Reginaldus d. lib. 6. n. 149. Vel finis in consistente est mali Venialis, puta, ut capiet inanem gloriam apud Confessarium, vel apud socios, amicos, vel parentes? Et in hoc casu Sylvester V. Confessio, §. 7. tenet, Confessiones hujusmodi esse invalidas, & per consequens repetendas; ratio desumitur ex doctrina de bonitate, ac malitia humanorum actuum, per quam docemur, eundem numero actum non posse simul habere bonitatem, & malitiam, etiam ex diversis principiis, ut pluribus DD. citatis probat Collegium Salmanticens. eod. tract. tom. 3. tract. 11. disp. 6. dub. 1. §. 1. propterea contritio seu attritio, qua cupidus inanis gloriæ confitetur, cum sit ob pravum finem, non potest esse actus virtutis supernaturalis deserviens Sacramento ad veniam peccatorum, & sic Sacramentum remanet nullum. Nihilominus opinio contraria est magis communis, quæ tenet finem malum veniale in Confessione eam non irritare; quia licet suscipiatur Sacramentum cum peccato veniali, valide tamen suscipitur, & non ponitur obex gratiæ; ut ex Navarro d. cap. 21. num. 40. demonstrat Reginald. dist. num. 149. lib. 6. Diana Coordinatus tom. 1. tract. 3. resol. 114. delumpta ex veteri part. 4. tract. 4. resol. 212. & pluribus aliis citatis Collegium Salmanticens. de Sacramento in genere d. tract. 6. cap. 9. punct. 2. ubi num. 7. respondet ad rationem contrariam dicens, quod in hoc casu duo sunt actus diversi, & dispa-

rati in consistente, quamvis in eodem subiecto concurrentes; unus quidem venialis malus ob finem vanæ gloriæ; alter omnino bonus, idest dolor de peccatis, cum proposito emendandi; qui destrui non potest, nec reddi insufficientis ad obtinendam justificationem; prout destrueretur, & perderet sufficientiam, si finis evaderet mortaliter malus; verbi gratia, si quis haberet duos Confessarios, quorum uni confiteretur peccata gravia, alteri tantum levia, non ad conservandam bonam famam solummodo, (quod si raro fieret, mortale non esset) sed ob hypocrisim; videlicet, ut ab isto Confessario crederetur vir bonus, innocens, & pius; tunc enim mortaliter peccaret sic confitendo, & invalidæ essent Confessiones, idcirco repetendæ; ea ratione, quia hoc modo committitur gravis irreverentia contra Deum, sumendo Sacramentum institutum ab ipso in testimonium hypocrisis, ac confirmationem falsitatis. Sylvester Verb. Confessio, 1. num. 8. & Reginaldus dist. lib. 6. num. 149.

Secundus casus est; si pœnitens absque integritate est confessus peccata sua; quia scilicet absque legitima causa tacuit peccatum mortale, vel ob reverentiam, vel ob culpabilem negligentiam, (ut frequenter accidit in praxi, & ostendimus in Decif. XXXIII.) & tunc Confessione esse repetendam est extra omnem controversiam; ac manifestandum sacrilegium commissum in taciturnitate illius peccati; ut docent omnes DD. Navarrus in Manuali d. cap. 21. num. 37. quod docuerat etiam antea cap. 9. num. 11. Reginaldus d. lib. 6. n. 149. §. 1. §. 2. Gobatus tract. 6. num. 260. Et ex professo Eminentiss. Card. de Lauræa dist. disp. 12. n. 190. §. 1. §. 2. reddens rationem hujus necessitatis reparatiis, quia confessio integra peccatorum est de necessitate salutis; quod confirmat etiam Eminentiss. Card. de Lugo de Pœnitent. disp. 16. num. 599. ac Collegium Salmanticens. dist. tract. 6. cap. 9. num. 10. Et idem quo ad repetitionem dicendum est, si malitiosè fuerit omisit versus numerus peccatorum, vel aliqua circumstantia mutans speciem, aut notabiliter aggravans in quatuor generibus per nos expositis supra Decif. XXXV. a num. 18. §. 1. §. 2.

Illud tamen pro praxi est advertendum; quod ubi quis culpabiliter mortale peccatum tacuerit in Confessione; deinde hujus sacrilegii omnino oblitus, plures alias Confessiones integras bona fide fecerit, non est necessarium, ut repetat has Confessiones bona fide factas, ut ait idem Eminentissim. Cardin. de Lugo d. disp. 16. num. 599. Bonacina tom. 1. disp. 5. quest. 5. §. 2. part. 3. num. 6. Et Diana Coordinatus tom. 1. tract. 3. resol. 119. §. 2. §. 1. in tract. 4. resol. 17. §. ult. quarum prima in veteri est part. 3. tract. 4. resol. 107. alias 108. altera in p. 11. tract. 6. resol. 60. alias 58. cum quibus concordat Collegium Salmanticens. dist. tract. 6. cap. 9. num. 11. quæ quidem animadversio confert magnum solamen Confessorum, quibus non semel accidit, audire penitentes, qui olim mala fide fecerunt Confessiones sacrilegas, deinde bona fide alias peregerunt; quas quidem intermediis non oportet iterare.

Tertius Casus est, quando è contra penitens inculpabiliter tacuit aliquod peccatum, vel circumstantiam, & integrè non fuit confessus, putans invincibiliter non esse peccatum mortale, vel non teneri ad manifestationem, ut sæpe evenit in pueris, vel puellis, aut rusticis; qui tamen grandiores facti, vel ab aliquo Predicatore instructi postea cognoscunt suum defectum. In hoc enim casu, non sunt iterandæ omnes præteritæ Confessiones, sed satis est peccatum omisit, vel circumstantiam neglectam manifestare Confessario; ut scribunt Bonacina d. pu. 3. n. 6. Navarrus in cap. Fratres, num. 82. de Pœnit. dist.

dist. 5. & in Manuali cap. 9. num. 12. Reginaldus d. lib. 6. num. 153. Collegium Salmanticense d. tract. 6. cap. 9. num. 14.

Quartus Casus est, quando quis confessus est peccata sua absque proposito formali, vel virtuali se emendandi, de quo adum est supra Decif. XIII. a num. 15. Et sequi ubi tres præcipuæ conditiones e-jusdem propositi notatæ sunt, videlicet, ut sit firmum, ac stabile; ut se extendat ad omnia mortalia, & ut deserat proximas occasiones peccandi. Quapropter his deficientibus conditionibus insufficientes remanet propositum, & Confessio fit invalida, & per consequens est repetenda, ut pluribus rationibus probat Eminentiss. Card. de Lauræa d. disp. 12. art. 9. §. 4. ac etiam §. 5. ubi explicat differentiam inter occasiones proximas, & occasiones remotas peccandi; has enim esse dicit omnem creaturam; juxta illud, quod legitur in Sap. 14. 11. Creatura Dei facta sunt in odium, & tentationem animabus hominum; & in miscipulam pedibus insipientium. Sed quia non ita frequenter inducunt ad peccandum, & non est tanta difficultas cum eis abstinere à peccatis; non sunt omnes deserendæ, vel declinandæ, alioquin, ut ait Apostolus, 1. 1. Cor. 5. 10. Deberemus omnes de Mundo exire. At occasiones proxime sunt omnino deserendæ, & illæ censentur proximæ, quæ inducunt frequenter ad peccandum; seu cum quibus difficillimè homo abstinere à peccato ex experientia, quam habet de se ipso; de quibus plura qui scire cupit, legat novissimè Cardenas in Crisi Theologica tract. 1. de Probabilitate. Dissert. 18. in qua suscitatur de fugiendo periculo peccandi; & in specie cap. 8. in fine, num. 104. §. 105. concludit; In materia luxurie, avaritiæ, magne & vehementis iracundiæ, teneri hominem ad vitandas occasiones externas, si moraliter possibile sit; nec sufficit conari ad vitandum periculum formale per actus hominis intrinsecos. Inferitur etiam, quod in ceteris materiis, in quibus neque passio vehementis, neque habitus vitiosus intensus, neque acris tentatio urget, non tenetur homo sub mortali occasione externam fugere; tenetur tamen vitare per actus intrinsecos periculum formale. Et eandem doctrinam repetit in posthuma Crisi Dissert. XXXIX. ad Propositionem LX. 8 damnatam ab Innocentio XI. quæ asserbat: Penitenti habenti consuetudinem peccandi contra Legem Dei, naturæ, aut Ecclesiæ; est emendationis spes nulla appareat, nec est neganda, nec differenda absolutio, dummodo ore proferat, se dolere, & proponere emendationem: nec non ad alias tres subsequentes, quæ continebant, La LXI. quod, Potest aliquando absolvi, qui in proxima occasione peccandi versatur, quam potest, & non vult omittere; quinimodò dicitur, & ex proposito querit, aut ei se ingerit. Proposito autem LXII. quod Proxima occasio peccandi non est fugienda, quando causa aliqua utilis, aut honesta non fugiendi occurrit. Et tandem La LXXIII. Quod licium est querere directè occasionem proximam peccandi pro bono spiritali, vel temporalis nostro, vel proximi. Ex quibus omnibus ipse Cardenas optimè deducit ad existentiam viri propositi se emendandi necessarium esse, ut peccator deserat occasionem proximam, aliàs ejus Confessiones erunt invalidæ, & subinde repetendæ, quam doctrinam omnes Confessarios decet optimè novisse.

Quintus casus est, quando Penitens est excommunicatus, & nihilominus accedit ad Sacramentum Pœnitentiæ, confitetur peccata sua, & recipit absolutionem ab eis, nihil dicens de excommunicatione. Et circa hunc casum Doctores distinguunt; vel Penitens habet notitiam, ac memoriam Censuræ, qua est irretitus, vel non. Si scit, se esse excommunicatum sive majori, sive minori excommunicatione, & de ea nihil loquitur, Confessio est invalida, & per consequens repetenda. Ratio

est, quia cum excommunicatio tam major, quam minor privet hominem perceptione Sacramentorum; & qui audeat ea sic percipere, peccet mortaliter; cap. Si celebrat. De Clerico excommunicato. celebrat. ponit obicem Divinæ gratiæ, quæ cum peccato stare non potest; & quantum in se est, contaminat Sacramentum sacrilegio, redditque illud nullum; unde necesse habet iterare Confessionem, obrenta prius absolutione à censura ab eo, qui potest eam illi impertiri. Navarrus in cap. Fratres. num. 38. de Pœnitent. dist. 5. & in Manuali cap. 9. num. 4. Reginaldus dist. lib. 6. num. 172. & Eminentiss. Cardin. de Lauræa de Pœnitent. dist. disp. 12. art. 9. §. 7. num. 247. bene adnotantes, quod iterando Confessionem tenetur se accusare de Sacrilegio commissi in præcedenti. Si vero Penitens probabiliter ignorabat, aut non advertebat, se excommunicatum esse; ita ut quando absolvatur, neque crederet, neque advertebat, se peccare; tunc valida est ejus Confessio, ac absolutio; quia excommunicatus celebrans ob ignorantiam probabiliter excusatur à peccato, & ab irregularitate. cap. Apostolica. De Clerico excommunicato. ministr. & ob eandem ignorantiam penitens excusatur à sacrilegio; & quamvis excommunicatio privet hominem participatione Sacramentorum ipso jure, cap. Engelstradam. 3. quest. 4. cap. Si quem. de Sentent. excommunicato. Nihilominus validum est Sacramentum Pœnitentiæ susceptum ab excommunicato cum ignorantia inculpabili; quia nullibi Ecclesiæ declaravit, absolutionem Sacramentalem eidem ignorantiter excommunicato datum, velle, quod sit ipso jure nulla; sicut declaravit in collatione beneficii. cap. Postulasti. de Clerico excommunicato. ministr. Imò alia Sacramenta, est indigne recipiuntur ab excommunicatis scientibus se esse excommunicatos, valide tamen ab ipsis recipiuntur, ut de validitate Ordinis est in text. c. 1. De eo, qui furtivè Ordin. susc. & de validitate Matrimonii in cap. Significasti. De eo, qui duxit in Matrimon. & de Confirmatione ait Reginaldus dist. lib. 6. dist. num. 172. In tertia proposit. in fin. ac Navarrus in cap. Consideret. §. Causus. num. 30. de Pœnit. dist. 5. adeo ut solum Sacramentum Pœnitentiæ nulliter suscipiatur ab excommunicato sciente se esse talem, ob culpam mortalem, quam committit transgrediendo præceptum Ecclesiæ prohibens sibi participationem Sacramentorum; quæ culpa mortalis destruit validitatem Sacramenti Pœnitentiæ, tamquam incompatibilis cum Divina gratia, quæ est effectus Sacramenti ejusdem; & ideo cessante eadem mortali culpa in penitente excommunicato, ignorante invincibiliter suam excommunicationem, non datur in eo ob ex gratiæ Divinæ; & sic valide confitetur, ac absolvetur, absque obligatione iterandi suam Confessionem, sed tantummodo petendi absolutionem à censura, quando sciverit, se ea esse irretitum; ut latissime probant idem Navarrus in Manuali cap. 9. num. 3. & in dist. cap. Fratres numer. 45. Reginaldus dist. lib. 6. numer. 172. Proposit. 3. Layman lib. 5. tract. 6. cap. 12. num. 12. Eminentissim. Cardin. Toletus lib. 3. cap. 10. Eminentiss. Cardin. de Lauræa dist. disp. 12. num. 248. Diana Coordinatus tom. 1. tractat. 4. resol. 38. ubi contrarium opinantes rejicit; idcirco facit Collegium Salmanticens. dist. tract. 6. cap. 9. Punct. 1. per totum, respondens fundamentis adversariæ partis; quibus omnibus adhiplatur etiam Gobatus tract. 7. num. 167. 168. & 169. dicens: Hæc probe nota, quia non obvia. At utilitatis etiam notat, quod ubi penitens non est plene cognitus Confessario, & plura mortalia ad ejus pedes deponit; non est omittenda absolutio à censuris ad cautelam, dicendo ante absolutionem à peccatis: Absolvo te ab omni vinculo excommunicationis, & interdi-

*Si* ( si sit pœnitens Laicus ), vel *absolvo te à censuris, in quantum possum, & tu indiges*; sic enim casu, quo effect aliqua censura irretitus, remaneret solutus ab illa; ut deinde cum certitudine possit absolvi à peccatis. In reconciliationibus autem brevibus, & ubi pœnitens est notæ probitatis, & frequentat Sacramenta, absolutio à censuris innoxie omitti potest; idque communiter servari in Germania testatur ipse Gobatus d. *tratt. 7. num. 163.* Et hæc satis dicta sint circa reiterandas Confessiones ob defectus Pœnitentis. Nunc pro defectibus Confessarii sit

Sextus Casus; quando quis per errorem confitetur Laico, veste Presbyterali induto, in Sede Confessionali reperto. Hunc casum aliquando evenisse audivi à meis majoribus, & testatur Diana *part. 4. tratt. 7. resol. 11.* quæ in Coordinato reperitur *tom. 5. tratt. 12. resol. 11.* docens Laicum, vel Clericum non Sacerdotem ex sola curiositate audientem alterius Confessiones, esse suspectum de fide, & in S. Officio Inquisitionis gravissimis pœnis damnandum, juxta Constitutiones Pontificias ibidem à Diana relatas, de quibus etiam Barbosa de *Episc. allegat. 110. num. 18.* & Salelles de *S. Inquisition. tom. 3. lib. 5. cap. 5. Regul.* Cæterum quod attinet ad materiam nostram Confessio facta coram non Sacerdote, quamvis bona fide, est invalida, & absolutio ab eo impartita est nulla; quamvis errore communi, & titulo colorato habeatur pro vero Sacerdote, si quidem adest impedimentum juris Divini, quod ab Ecclesia suppleri non potest; nam de jure Divino facultas absolvendi competit tantummodo veris Sacerdotibus; ut diximus in Decif. XV. *num. 22.* & in Decif. XVIII. *num. 9.* & 10. & in puncto scribit Sanchez de *Matrim. lib. 3. disp. 22. num. 27.* Bonacina *ead. tratt. quest. 2. punct. 8. num. 36.* & pluribus citatis Collegium Salmanticæ d. *tratt. 6. cap. 9. num. 23.* Quare in prædicto casu Confessio est prorsus reiteranda.

Septimus Casus est; si audiens Confessionem sit quidem Sacerdos, sed non habeat facultatem casu audiendi, vel quia nunquam fuit approbatus ab Episcopo illius loci; vel si fuerat approbatus ad tempus limitatum, jam facultas expiraverat; & tempus concessum transierat. In hoc casu oportet distinguere; vel in illo loco Sacerdos audiens Confessiones, communi errore, & titulo colorato creditur ab omnibus esse approbatus, & habere jurisdictionem, & tunc valida est absolutio, quia Ecclesia supplet jurisdictionem, quam supplere potest juxta *l. Barbosa v. ff. de Offic. Prætoris.* Sanchez, alios allegans d. *lib. 5. de Matrim. disp. 21. num. 5.* Bonacina ubi supra de *Matrim. quest. 2. punct. 8. num. 29.* ( ubi tamen titubet de supradicta validitate absolutionis, ) pro qua nihilominus stat Collegium Salmanticæ d. *tratt. 6. cap. 9. num. 19.* & ibi non pauci. Casus iste successit decem ab hinc annis circiter in hac Diocesi Patavina, in qua tempore Jubilæi tunc universalis duo, vel tres Regulares, qui antea ad tempus limitatum fuerant approbati, & jam tempus expiraverat, decepti communi illo dicitio, *semel approbatus, semper approbatus*, de facto audiverunt confessiones plurimorum, eosque absolverunt à peccatis. Vicarius Foraneus querelam detulit Eminentiſſimo Cardinali Episcopo Patavino, qui mandavit, formari Processum; ipsique Rei appellatur ad Sacram Congregationem Eminentiſſi Cardinalium negotii Regularium præfectam; à qua decretum fuit, Regulares prædictos esse puniendos; absolutionisque, ac confessiones coram eis factas fuisse invalidas, sed ob communem errorem habitantium in illo loco, & ob bonam fidem pœnitentium, hos non esse inquietandos circa reiterationem confessionum; nisi eorum aliquis diceretur de validitate; tunc enim esset monendus, ut iterum eadem peccata con-

fiteretur. At è contra, si Sacerdos audiens confessiones non crederetur ab Episcopo approbatus; & pœnitens sciret, vel sciendi ansam haberet, illum non esse legitimam Confessionarium; & sine urgenti necessitate coram eo confiteretur peccata sua; confessio, & absolutio nullius esset valoris, & utraque esset iteranda; idemque foret dicendum, si Parochus aut intrusus, aut excommunicatus, & denunciatus publicè fuisset, ut differit Bonacina *cit. disp. 2. punct. 8. à num. 25.* & sequ. & probat plenissimè Eminentiſſi Cardin. de Lauræa *disp. 20. de Pœnitenti. art. 3. per tot.*

Octavus casus est de illo, qui confitetur peccata sua Sacerdoti dormitanti, vel surdo, aut sic distracto, ut non bene audiat, aut intelligat peccata pœnitentis. Cognovi Confessionarium, qui audiens moniale nimis tædioſum, dormitavit, & transeunte strepitoso curru per viam, somniviavit tonitruum; undè exclamavit *Jesus Maria, Jesus Maria.* At monialis ad illum: Quid habes Pater? Et ille experiret ait: Nihil Filia. Somniviavit tonare cœlum, & cadere fulgur. Tunc ipsa: O ego misera! Dormienti narro peccata mea? Et irata dicebat, & narravit cæteris Monialibus, de hoc impensissimè ridentibus. In hoc casu esse iterandum confessionem opinati sunt D. Antonius, Sylvester, & Navarrus apud Laymanum *lib. 5. tratt. 6. cap. 9. num. 5.* Contrarium tamen tenendum est, quando pœnitens bona fide coram prædicto confessorio se accusavit, ut docet ibidem Laymanus, Busenbaum *lib. 6. tratt. 4. de Pœnit. cap. 1. sub. 3. art. 4.* Eminentiſſi Card. de Lugo *disp. 16. num. 606.* & Collegium Salmanticæ d. *tratt. 6. cap. 9. num. 23.* ubi eam reddit rationem, quia bona fides pœnitentis supplet defectum Confessarii, & facit esse integram Confessionem virtualiter. Hinc sequitur, quod quotiescumque cessaverit bona fides in pœnitente, ut in prædicta Moniali, & cognoverit, sua peccata non fuisse intellecta à Confessorio, est iteranda eorumdem Confessio; & multo magis si pœnitens mala fide, ac data opera accessisset ad Sacerdotem surdum, vel distractum, aut alia *ex causa* confessionem non percipientem. Eminentiſſi Cardin. de Lugo d. *disp. 16. num. 609.* & 610. Et Salmanticenses d. *cap. 9. n. 23.* & 24.

Nonus, & ultimus casus est, an sit repetenda Confessio, quando facta fuit coram Sacerdote ita ignaro, ut nesciat discernere inter lepram, ac lepram, id est inter peccatum mortale, ac veniale; & inter speciem, ac speciem peccatorum? Affirmat Sylvester *Verb. Confessio. 1. quest. 3.* & alii multi apud Salmanticenses d. *tratt. 6. cap. 9. num. 25.* Sed verior est sententia negativa, quando pœnitens bona fide accessit ad illum, & confitetur cum dolore, integritate, ac proposito emendandi; & dummodo ignarus ille Confessarius sciat proferre formam absolutionis. Ita DD. quos citat, & sequitur Diana *Coordinatus tom. 1. tratt. 3. resol. 28. 29.* & 30. quibus adhærent Salmanticenses ubi proxime *num. 26.* rationem reddentes, quia inficitia Sacerdotis non habet vim præjudicantem bona fidei confitentis. Dixi dummodo sciat proferre formam absolutionis, ne forte esset similis illi, quem reperit pius, & eximius inter Theologos Scholasticos, ac Morales Franciscus Suarez in quadam Villa Conimbricæ, de quo Joseph Masſæus Scriptor ejus vitæ *cap. 19.* ita narrat: *Defiderava (ipse Pater Suarez) di apparecchiarsi al Divino Sacrificio, con purgare l'anima da quelle leggierissime colpe, di cui gli pareva d'esser reo: ma quando il Sacerdote, che stava quivi in carica di sottocurato, venne a proferre le parole dell' Assoluzione, si diede a cercarla di qua, e di là, dicendo, e riducendo, senza combinder mai nulla, tantochè bisognò al Vaso rammentargli la forma, ed a sesto si ottenne, ebb*

*l'espri-*

*F'espresse quanto bastava. Dopo il Sacrificio fu il Suarez ad ammonire il Parroco, che non tenesse a quel ministero un tal Sostituto, che non sapendo ciò, che si richiede al Sacramento, dovea venderlo invalido, e pregiudicare di troppo a' poveri Penitenti. Il buon Parroco, a simile avviso gli pose su la diffesa; e scusavasi, che non era sua la colpa; perchè, diceva: Io molto ben consapevole dell' incapacità di quest' Uomo, gli ho più volte ordinato, che non affolva veruno; ma che oda solo i peccati, e mandi da me i Penitenti per essere assoluti. O qui si, che rimase il Padre Suarez fardito d' un' ignoranza tanto enorme. Gli tolse di capo l'errore, che non si può esporre i peccati ad un Sacerdote, e ricevere l' Assoluzione dall' altro. Poſcia tornato a Coimbra, pregò il Vescovo a vigilare seriamente su gli esami de' Confessori, e de' Parrochi; con che in avvenire si diede un' efficace rimedio a' inconvenienti passati.*

Utinam Ecclesiarum Prælati saperent, & intelligerent, examen, ac approbationem Confessariorum esse Pastoralis Regiminis præcipuum opus; illoque personaliter audirent, & caverent, ne ab inexpectato examinatore sola unius casuli interpellatione contento, ad tantum ministerium exercendum admittentur. Testis est Deus, me herculeo sustinuisse labores per 40. circiter annos in examinandis, & approbandis Confessariis ex utroque Clero in hac amplissima Diocesi, eosdem interrogando, super omnibus partibus Sacramenti Pœnitentiæ, super definitione, ac divisione contractuum, & super impedimentis Matrimonii, ac super aliis præcipuis materiis circa præcepta Dei, & Ecclesiæ; ut scirem, an ea intelligerent, casus practicos eis proponendo, ut demonstrant mea Erotemata Ecclesiastica pro hoc opere subeundo dignè, ut par erat, composita. Sed ultra scientiam, ad eorum etiam prudentiam in responſionibus attendebam juxta monitum Salomonis *Prov. 4. 5. Posside sapientiam, posside prudentiam;* nam sæpe sæpius prudentiæ Virtus magis juvat, ut in casibus difficilibus possit Confessarius consulere aut libros, aut sapientiores seipso.

Tandem Corollarii loco non est ignorandum, quòd quando ex aliquo de supra recensitis defectibus, convenit repetere Confessionem invalidam; si repetitio fiat coram eodem Confessario recordante peccata jam dicta, satis est in genere iterùm se accusare de peccatis jam confessis, addendo, quæ tunc omiſſa fuerunt; & quæ de novo sunt facta. Porro si Confessarius non habet memoriam præteritorum Confessariorum criminum, vel iteratur Confessio coram alio Confessario; opus est de novo omnia peccata antecedentis invalidæ Confessionis manifestare, unà cum culpa, quæ causavit ipsam invaliditatem; & aliis deinde commissis, ad effectum, ut servata integritate Confessionis circa numeram, species, ac circumstantias delictorum, comitante necessario dolore ob Dei offensam, ac proposito se emendandi, valida absolutio impertiat; ut latius scribitur, ac docet Suarez de *Pœnitenti. disp. 22. sect. 6.* Bonacina *disp. 5. quest. 5. sect. 2. punct. 2. num. 15.* Layman *tratt. 6. cap. 9. num. 6.* Et Collegium Salmanticæ d. *tratt. 6. cap. 9. punct. 5. per totum;* in cujus fine advertit, nihil officere validitati Confessionis, si perfecti non potuit unica vice, sed opus fuit pluribus diebus, dummodo Sacerdos in mente retineat statum pœnitentis, & graviora criminum genera; ut ritè, ac rectè possit procedere ad absolutionem, imponendo eidem congruam pœnitentiam.

DECISIO XXXII. ARGUMENTUM.

Queritur, an Moribundi, qui destituti sensibus confiteri non possunt peccata sua, sint Sacramentaliter absolventi? Distinguuntur, examinantur, & resolventur quatuor casus. Exempla agonizantium, qui sopitis sensibus nec vocem Confessarii audierunt, nec ullam pœnitentiæ actum interitus emisissent. Doctrina summè necessaria Parochis, Confessariis, ac aliis Sacerdotibus morientes adjuvantibus.

SUMMARIUM.

- 1 Moribundus, generaliter se accusans peccatorem, dein perditus loquelam, an sit absolvendus? & num. 4.
- 2 Symptoma quid, & quotuplex sit?
- 3 Syncope quid sit?
- 4 Moribundus dans signa doloris de peccatis, est absolvendus.
- 5 Idem si vocavit Confessarium; & postea obmutuit.
- 6 Moribundus destitutus sensibus, qui nullum signum pœnitentiæ dedit, an sit absolvendus?
- 7 Chivali diabolica salutatio nocturna Patavinarum.
- 8 Juvenis annor. 20. plumbeis globulis in ventre plagatus, sensibus destitutus, absolutus ab Autore sub conditione.
- 9 Agonizans per triduum monitus ad dolendum de peccatis, nihil intellexit.
- 10 Lapsus in flumen, diu sub aquis nullum actum contritionis emisit.

Ed antequam egrediamur de secunda Sacramenti Pœnitentiæ parte principali, nempe de Confessione vocali peccatorum, tum quo ad numerum, tum quo ad circumstantias; expedit pro praxi Confessariorum agere de Confessione morientium, non habentium facultatem manifestandi propria peccata, ad quos absolvendos frequenter, & ex abrupto vocantur Parochi, ac Sacerdotes. Quare de Moribundis quatuor casus sunt videndi.

Primus est, quando moribundus volens confiteri peccata sua coram Sacerdote, incipit generali sermone dicere: *Pater scias me magnum peccatorem esse;* & his dictis incidit in Symptoma, vel in Syncope; amissaque loquela nihil aliud profert. Dubitant DD. an in hoc casu sit ei à Sacerdote danda absolutio. Notet hic studiosus lector, quòd Symptoma est accidens morbosum superveniens homini. Bruno in *Lexico Medic. Verb. Symptoma.* Et est duplex, sanabile, ac mortale; mortale est triplex *Apoplecticum*, quod præcipue accidit in senibus. Hippocrates *lib. 6. Aphor. 57. Epilepticum*, quod causat membrorum convulsionem; quippe *Epilepsia* est universalis convulsio; Galenus *lib. 1. De Symptom. caus. cap. 8.* Et *Synopticum*. Syncope est præceptum virium lapsus, ac ruina. Galenus *lib. 12. Method. Medic. cap. 5.* dentes, atque os ægri arctissime claudit, & est tam seivum, atque horribile symptoma, ut omnes Medici testentur, *Syncope* esse incipientem mortem; mortem autem esse consummatam Syncope, nam Syncope transitus est ad mortem; idcirco à Græcis vocatur *Oxy-copa*, hoc est citò jugulans; non enim in hoc affectu datur locus remedii, quia nimis celeriter jugulat, cum sit morbus ipsius cordis, qui statim atque inceperit, hominem perimit. Galenus *lib. 5. de Loc. aff. 2. Et Comment. 2. Aphorif. 41.* Igitur dubitant Moralistæ, in supradicto casu, an Sacerdos possit prædictum infirmum, ulu



Primum Quæsitum est, An detur Præceptum Divinum de Confessione peccatorum venialium? Et respondet Theologus negativè. Ratio est, quia Præceptum Sacramentalis Confessionis obligat solas illas personas, quæ post baptismum mortaliter peccaverunt; idè peccata Venialia non sunt materia necessitatis Sacramenti Pœnitentiæ; & ad illud suscipiendum non tenetur qui talem materiam non habet; siquidem non est medium necessarium ad venialia tollenda. Ita Suarez de Pœnitentia disp. 35. scilicet. 2. num. 5. ubi allegat Concilium Tridentinum satis apertè hoc docens scilicet. 14. cap. 1. 2. & 5. Idemque advertunt Salmanticenses d. tract. 6. De Sacram. in genere cap. 7. num. 2. plures DD. cumulando; quibus adhæret Eminentiss. Cardin. de Lauræa de Sacram. Pœnitent. disp. 11. art. 3. in princ. referens verba Scoti in 4. Sent. disp. 17. quæst. Unic. R. ita dicentis: Dico quantum capio ex statutis Ecclesie generalibus, nullus tenetur ad Confessionem venialium in quocumque casu, neque in hoc Ecclesia specificavit præceptum de Confessione. Et paginè post Scotus obijcit sibi, quomodo in eo anno Pastor poterit cognoscere vultum pecoris sui? docet sufficere tunc si suo Sacerdoti dicat: Domine, regravor Deo, quia ex quo sui ultimò Confessus, non habeo conscientiam de peccato mortali; date mihi Eucharistiam. Idè prædicta Eminentiss. d. art. 3. num. 25. firmat hanc conclusionem: De factis in nullo casu peccatum veniale potest esse obiectum necessitatis pro Confessione Sacramentali. Scotus loc. cit. D. Thomas, D. Bonaventura in 4. disp. 17. §. 2. p. 2. quæst. 1. Alensis 4. p. quæst. 18. art. 4. §. 5. in resolut.

Secundum Quæsitum, est An Ecclesia possit præcipere Confessionem Sacramentalem de peccatis venialibus? Alii negant, alii affirmant. Glossa in Clem. Ne in agro Dominico. De Statu Monachor. & Scotus in 4. disp. 18. quæst. 1. art. 3. cum aliis, quos citat Diana part. 8. tract. 1. resol. 15; posita in Coordinato ejus opere tom. 3. tract. 1. resol. 23. tuerunt partem negativam; ea ratione, quia Ecclesia immutare nequit materias, & formas Sacramentorum, & eas aliter constituere, quam à Christo sunt instituta. Sed Christus reliquit peccata venialia materiam liberam, & non necessariam Confessionis. Ergo Ecclesia non poterit efficere illam necessariam sub obligatione præcepti. Contraria tamen Sententia affirmativa est verior, quam amplectitur ipse Diana ibid. & ante eum tenuerunt Reginaldus lib. 6. num. 47. Candidus disp. 24. art. 5. d. 2. & alii plerumque congesti per Salmanticenses d. tract. 6. cap. 7. num. 31. quibus ego addo Eminentiss. Card. de Lauræa de Sacram. Pœnitent. disp. 24. art. 2. §. 4. ubi plures rationes reddit, sed eam præcipue, quòd si confitendo venialium potest cadere sub obligatione voti; Ita sub præcepto Ecclesiæ: eò magis quia tale præceptum esse de bono honesto, ac proficuo animarum saluti. Nec est verum, quòd in tali casu Ecclesia immutaret materiam Sacramenti; quia præcipere summopleno Sacramenti etiam faciendam ab illis, qui venialia tantum habent, idest materiam sufficientem; quòd quidem Ecclesia potest præcipere; sicut præcipit summopleno aliorum Sacramentorum absque immutatione materiarum eorumdem. Hinc de factis Ecclesiæ præcepti Monachis Benedictinis, in cit. Clem. Ne in agro Dominico. De Regular. ut singulari mensibus Sacramentaliter confiteantur peccata sua, quæ supponunt non esse, nisi venialia; ut par est credere in Religiosis perfectioris vitæ; & in Concil. Trident. sess. 25. de Regular. cap. 10. injungitur Prælati, ut in suis Constitutionibus admoveant Sanctimoniales, ut saltem semel singulis mensibus Confessionem peccatorum faciant; quæ de venialibus ut plurimum censi debet; & quamvis verbum illud, *Monent*, videatur esse hortatorium; nihilominus ubi, agitur de re gravi, qualis est inter

Sanctimoniales mensura saltem Confessio, ac Communio, habet etiam vim præcepti, ut bene probat Fagnanus in cap. Quæstio num. 38. De Clericis non residen. ubi idem esse sentiendum ait de verbis, *Hortamur, & Rogamus*. Stat igitur firma hæc responsio ad Quæsitum, quòd potest Ecclesia, si velit, præcipere Confessionem venialium culpæ; etsi hoc præceptum hucusque non fecerit universaliter omnibus fidelibus, sed tantummodo Religiosis Benedictinis in d. Clem. Ne in agro. de qua præter Canonistas agunt Navarrus in cap. Placuit. num. 122. de Pœnit. disp. 6. Canus in Resol. de Pœnit. part. 5. §. 2. ut verò, & Cajetanus part. 2. Opuscul. tract. 5. g. 1.

Tertium Quæsitum est, Que requirantur pro remissione venialium in Sacramento Pœnitentiæ? Pro responsione supponendum est, quòd qui confitetur venialia, vel non habet mortalia confitenda, vel si habet, illa quocumque confiteatur unà cum venialibus; nam licet Durandus in 4. disp. 16. q. 2. teneat, quòd possit dimitti veniale sine mortali per rationes ibi ab eo consideratas à num. 6. & seqq. contrarium tamen est verius ex S. Thoma in 3. p. q. 87. art. 4. & plurimè aliis DD. congestis per Salmanticenses d. tract. 6. cap. 5. num. 28. juxta illud 1. Cor. 3. Si charitatem non habuerit, nihil mihi prodest. Et idè peccatum veniale conjunctum cum mortali nunquam remittitur per Sacramentum Pœnitentiæ non remisso mortali; sed cum infunditur gratia justificans in penitente rectè disposito, qui confessus est mortalia, ac venialia; eodem tempore per abolitionem Sacramentalem remittitur in eo mortalia, & venialia. At quid dicendum extra Sacramentum Pœnitentiæ? examinabitur infra num. 16. Quòd si penitens habeat sola Venialia confitenda, & illa confiteatur, in hoc casu (qui propriè est ille, de quo loquitur quæsitum) tres difficultates movent Theologi, quos longa serie citat Salmanticenses d. tract. 6. cap. 5. punct. 2. & 3. & quos cæteris clariùs examinat, ac resolvit Mastrius in 4. Sent. disput. 5. quæst. 15. art. 2. à n. 415. & seqq.

Prima difficultas est, An in Confessione, que sit de Venialibus, requiratur dolor formalis, & expressus saltem per modum attritionis, absolutus, ac efficax, sicut requiritur in Confessione mortalium; Et passim sic affirmant recentiores; quamvis enim nullus teneatur confiteri peccata venialia, tamen supposito, quòd de his confiteri velit, & facere de illis materiam sufficientem pro Sacramento, debet eam qualificare cum dolore requisito in Sacramento Pœnitentiæ, idest cum contritione, vel saltem cum supernaturali, ac vera attritione; quam si non haberet, committeret peccatum sacrilegii; nam redderet Sacramentum imperfectum ob defectum primæ ejus partis essentialis, quæ est contritio, vel attritio. Ita Eminentiss. Card. de Lugo de Pœnit. disp. 14. scilicet. 8. Averla. q. 11. scilicet. 1. & Amicus disp. 6. scilicet. 4. Nihilominus Mastrius d. disp. 5. num. 416. optimis rationibus probat, quando sola venialia sunt confitenda, & continentur, non esse omninò necessariam perfectam attritionem, sed sufficere aliquam minorem dispositionem, nempe adualem non complacentiam de talibus peccatis, & voluntatem recipiendi effectum remedii, quòd penitens assumit, ut à venialibus purgari possit; hæc enim censetur virtualis quedam peccati venialis detestatio, dum homo vult ejus medicinam assumere, ut ab eo purgetur; itaut hæc talis qualis displicitentia de venialibus sufficiat, ut docet S. Thomas 3. p. q. 87. art. 1. in corp. ubi firmat quòd confessio non habet complacentiam de istem venialibus; siquidem hæc est, quæ impedit eorum remissionem. Idem Mastrius d. disp. 5. num. 419. Candidus disquis. 24. art. 34. dub. 3. Et Salmanticenses d. tract. 6. cap. 5. num. 32.

Secun-

Secunda difficultas est, An confitens plura peccata Venialia venatur dolore de singulis? Affirmant Suarez de Pœnit. disput. 20. scilicet. 6. & Eminentiss. Cardin. de Lugo disp. 14. scilicet. 8. nec non Averla. quæst. 11. scilicet. 6. quia cum materia hujus Sacramenti sit confessio cum dolore; qui non dolet de quocumque peccato, quòd confitetur, subjicit materiam non aptam, & sic facit injuriam notabilem Sacramento, & committit sacrilegium; sicut ille, qui porrigeret pro materia Eucharistiæ aliquam particulam panis non triticeæ, cum altis particulis triticeæ panis, & faceret, ut Sacerdos verba profertret super omnes simul cum intentione consecrandi. Communis tamen recentiorum opinio est, non teneri penitentem ex necessitate de omnibus venialibus confessus dolere, sed tantum de aliquibus, ne irritum sit Sacramentum; quia cum ipsa venialia non sint materia necessaria Sacramenti, nulla ei irrogatur injuria, etsi remaneant materia imperfecta, ubi alia perfecta reperitur; quemadmodum non peccant, qui confitentur peccata hec accusant etiam de defectibus, & imperfectis rationem culpæ non attingentibus. Nec stringit exemplum particulæ non triticeæ in consecratione Eucharistiæ posite; nam, ob difficultatem eam fecerunt à triticeis, irrogatur injuria Sacramento, dum Sacerdos intendit eas omnes consecrare. At in Confessione Minister dirigit verba abolitionis super ipso Penitente, qui capax est absoluti ab illis venialibus, de quibus sufficienter dolet. Ita Mastrius d. disp. 5. num. 418. & ante illum Layman lib. 5. tractat. 6. cap. 4. numer. 19. & alii, quos citat, & sequitur Diana part. 11. tractat. 7. resolut. 38. collocata in Coordinato d. tom. 1. tractat. 3. resolut. 102. cui adherent Salmanticenses d. tractat. 6. cap. 5. numer. 37. & 38.

Tertia difficultas est, An etiam in Confessione Venialium requiratur propostum efficax, formale, vel virtuale visandis omnia ipsa peccata venialia? In hac difficultate nimis se involvunt DD. & obferre loquuntur, quia alii affirmant ex eo, quòd confessio sine propostio emendationis est irrita, ut docuimus supra Decif. XIII. numer. 15. Obfero, scilicet. Alii dubitant, quia impossibile est ex nostra fragilitate omnia venialia vitare, nam septies in die cadit jusus: nemo autem potest efficaciter velle, quòd videt moraliter esse impossibile. Mastrius de Anima disp. 7. qu. 5. numer. 102. idè multi multa dicunt, quæ lectòris caput defatigant, neque intellectum satis instrunt. Placet doctrina Mastrii in cit. disp. 5. de Sacram. Pœnitent. numer. 422. dicentis, Consistentem venialia debere habere propostum faciendi diligentiam vitandi in posterum quodlibet eorum singulatia, & cautè vivendi, quantum ex divina gratia sibi conceditur; & hoc propostum sufficit, ut in Sacramento remittantur omnia venialia, quæ sunt Confessionis materia. Ita Mastrius ibid. Qui plura de hac difficultate cupit, legat Dianam in part. 11. tract. 5. resolut. 23. translata in Coordinato d. tom. 1. tract. 3. resolut. 102. ubi plurimos enumerat. Sed non obliuiscatur doctrinæ Suarezii de Pœnitentia disput. 4. scilicet. 3. sub num. 5. advertentis, propostum he emendandi in Confessione vel referri ad voluntatem, quæ hic, & nunc proponit ex divina gratia vitare peccata, de quibus dolet; vel referri ad intellectum, quo judicat, se non perseveraturum: primum est necessarium, ac sufficienter, secundum non est attendendum, neque de eo curandum; ut innuimus etiam supra in Decif. 11. num. 4. & in d. Decif. XIII. numer. 15. Igitur, ut peccata Venialia remittantur in Sacramento Pœnitentiæ, requiritur, ut penitens illa confiteatur unà cum mortalibus, si mortalia habeat; excitet aduam attritionem de istem venialibus vel perfectæ, vel saltem imperfectæ, per aliquam internam displicitentiam de illis;

cum propostio adhibendi omnem possibilem diligentiam, se divina gratia adjuvante, abstinendi in posterum ab illis.

Quartum Quæsitum est, Quomodo remittantur peccata Venialia sine Sacramento Pœnitentiæ? Distinguentium est pro responsione; aut loquimur de remissione Venialium in hac vita, vel post mortem. Loquendo in hac vita, vel homo est justus, & in gratia Dei; hoc est, non habet peccata mortalia, sed tantum venialia; & hæc ei remittuntur; Primò per quocumque aliud Sacramentum devotè ab eo sumptum juxta doctrinam S. Thomæ d. p. 3. q. 87. art. 3. in corp. quem refert Volpi in Resolus. Moral. Verb. Veniale resolut. 189. in Introducta. Et de Baptismo sumpto per adultum habentem mortalia, ac venialia dimittente non solum illa, sed etiam ista loquitur text. in cap. Debitum 4. §. Respondemus. De Baptismo. Et Concilium Tridentinum sess. 5. in Decreto de Peccato Origin. Vers. In renatis enim nihil odit Deus. De Eucharistia autem idem Concilium Tridentinum sess. 13. cap. 2. De Euchar. Vers. Tanquam antidotum, de qua remissione latè egimus in Decifionibus de Vener. Euchar. Sacram. Decif. 46. à numer. 12. & seqq. De Extrema Unctione est textus in cap. 2. eod. tit. & in Concilio Trident. sess. 14. cap. 2. De cæteris autem Sacramentis testantur omnes Theologi, quos citat, & sequitur Bonacina de Pœnitent. Sacramentis disp. 5. quæst. 6. scilicet. 2. punct. 1. inter quos Suarez de Pœnitent. disp. 12. scilicet. 1. num. 3. Henriquez libr. 4. cap. 15. num. 3. & Gobatus tract. 6. num. 242. & 243. Sed quo ad modum, quo Sacramento remittunt Venialia, scilicet vel ex opere operato, vel conferendo auxilia, quæ excitent hominem ad elicendos actus virtutis destructivos peccati venialis, videantur DD. quos numerat Salmanticenses d. tract. 6. cap. 5. à num. 45. & seqq. & ea, quæ à nobis dicta fuerunt circa effectus Sacrosanctæ Eucharistiæ d. Decif. 46. num. 12. & seqq. Secundo remittuntur Venialia in hac vita homini justo per susceptionem Sacramentalium; quæ sunt sex, Oratio Dominicalis, Aqua benedicta, comestio Agni Paschalis, & aliorum ciborum ad prescriptam formam Ritualis Romani benedictorum, Recitatio confessionis genericæ, quæ fit in Missa, & officio per Confiteor; Elargitio elemosinarum; & Benedictio Episcopalis; quæ omnia comprehenduntur illo carmine: *Orans: Tinctus: Edens: Confessus: Dans: Benedicens;* de quo latè egi Anno 1687. in Decifionibus de Sacramentis in genere, & de Sacramentalibus; ubi exposui, à quo sint instituta ipsa Sacramentalia; & comprobavi iuris, ac auctoribus effectum eorumdem in remittendis venialibus; & plene examinaui celebrem illam questionem, an Sacramentalia remittant culpas veniales in homine justo ex opere operato, ut volunt Thomistæ; Vel ex opere operantis, ut docent Scotistæ, quos longa serie ibi allegavi: Idcirco ne repetam ibi dicta, ad eadem curiosus lector accurrat; & ad illa, quæ disputat Collegium Salmanticen. d. tract. 6. cap. 5. à num. 48. & seqq. Tertio remittuntur Venialia homini justo per actum contritionis perfectæ, ad quæ ipse actus dolorificus, ac detestativus se extendit; quamvis enim contritio circa mortalia debet esse de omnibus, ut dictum est Decif. XIII. num. 9. aliter censent DD. de Venialibus, quorum aliqua tantum potest homo justus detestari, ac retractare, aliis venialibus non detestatis, aut retractatis. Suarez disp. 11. scilicet. 3. num. 7. Layman lib. 5. tract. 6. cap. 4. num. 13. & Salmanticenses d. tract. 6. cap. 5. num. 31. rationem reddentes num. 33. quia in contritione continetur actus dilectionis Dei, detestans quicquid displicet Deo; qui est sufficiens ad delendum reatum culpæ venialis. Quarto etiam Attritio sine Sacramento Pœnitentiæ delet venialia in homine justo

secun-

secundum gravissimos Theologos, quos citat, & sequitur Suarez de Pœnitent. d. disp. 11. sect. 3. num. 2. & num. 11. cui adherent, alios allegantes

14 DD. Salmanticenses ubi proxime num. 34. per plures rationes ibidem consideratas, quarum una, quod actus attritionis in homine iusto est opus bonum supernaturale, essentialiter retractivus peccati venialis, ad quod respicit; & ideo meretur augmentum gratiæ, quæ augetur saltem in esse gratiæ cum deletione ejusdem venialis culpæ. Hanc opinionem amplectitur, ac defendit etiam Eminentiss. Cardin. de Lauræa d. disp. 15. de Pœnitent. art. 10. à num. 247. per totum. At plures contrarium tenent, inter quos Vasquez in 3. part. tom. 4. disp. 87. art. 1. dub. 1. num. 6. & Bonacina d. disp. 5. qu. 6. sect. 2. punct. 3. num. 8. à studiosis videndi, cum aliis adductis per Dianam Coordinatum d. tom. 1. tract. 3. resol. 105. & resol. 106. ex Veteri desumptæ part. 3. tract. 4. resol. 116. alias 117. Et

15 ex part. 11. tract. 5. resol. 31. Quinò delentur venialia in homine iusto per actus christianarum virtutum, nempe Fidei, Charitatis, Misericordiæ, Temperantiæ, Orationis, & similes, ut dicitur d. Anno 1687. Mensis Decembris Casu primo; & late comprobat Eminentiss. Cardin. de Lauræa d. disp. 15. art. 11. ubi bene notat num. 294. quod dicta bona opera debent referri ab ipso homine iusto ad talem finem delendi venialia, vel saltem ut à Deo ad eum finem acceptentur; quod est dicere, ut ipsa opera concomitentur dupliciter culpæ venialium, & desiderium emendationis, ut declarant Salmanticenses d. tract. 6. cap. 5. à num. 41. & seqq. Sed advertat lector his omnibus modis deleri Venialia non quo ad totam penam, sed quo ad culpam, & partem penæ, ut notat Gobatus d. tract. 6. num. 244. nam tota pena Venialium deletur vel per penitentias, ut per Indulgentias, ut ostendimus supra Decif. XX. numer. 2. Hæc de deletione Venialium extra Sacramentum Penitentia in homine iusto.

In homine autem peccatore coinquinato peccatis mortalibus, ac venialibus, utrum sine Sacramento penitentia, per attritionem, aut alia bona opera, vel per Sacramentalia possint dimitti Venialia, remanentibus mortalibus? Pœnosa est, insignis, ac perdifficilis questio; quam novissime examinant Eminentiss. Cardin. de Lauræa d. disp. 15. art. 9. à num. 218. & seqq. & Mastrius d. disp. 5. de Pœnitent. Sacram. & Virt. qu. 9. art. 3. qui licet sint ambo Scotistæ, in ea decidera magnopere inter se discordant. Negativam opinionem, quæ communis est, tenet Eminentiss. Cardin. de Lauræa ubi supra, ob plurimas rationes, sed præcipue, quia dimissio peccati est actus divinæ amicitia. Sed cum habente mortalia, ac venialia peccata, non est amicitia divina. Ergo eidem non conceditur dimissio alicujus peccati. Item quia delictio peccatorum semper fit vel per gratiam antecedentem, vel per concomitantem. Neutra est in eo, qui habet mortalia, ac venialia. Ergo nulla delictio in eodem fieri potest peccatorum. Hinc ait S. Augustinus relatus à Scoto in 4. dist. 15. qu. 1. I. Scio Dominum inimicum omni criminoso: quomodo ergo qui crimen reservat, de alia recipiet veniam? His tenet non obstantibus Mastrius d. q. 5. à num. 238. tenet affirmativam, quam dicit esse de mente Scoti; & sequuntur Hiqués, Hiribarnes, ac alii Scotistæ ob plura fundamenta, & inter alia, quod Veniale tollitur per Sacramentalia, ut probatur etiam supra, quorum usus ex præxi Ecclesiæ conceditur non tantum iustis, sed etiam habentibus mortalia peccata; qui per illa credunt, se à Venialibus expiari. Concordat S. Augustinus in Enchirid. cap. 71. ubi inquit: De quotidianis levioribus culpis, sine quibus hæc vita non ducitur, quotidiana Oratio fidelium satisfaciunt: eorum enim est dicere, Pater noster,

Ubi ait Fidelium non autem iustorum, ut comprehendat omnes. Et alio missis, certum est, quod per contritionem qui dolet de mortalibus, non autem de Venialibus, delentur ei mortalia, non autem Venialia. Igitur sicut mortalia delentur remanentibus Venialibus, per contritionem: ita per attritionem possunt deleri Venialia, mortalibus remanentibus; nam, ut ajunt Legistiæ, idem operari debet opus in opposito, quod operatur propositum in proposito. I. Si ut proponit. 2. C. de Nupt. Barbosa Axioma 171. ubi DD. Respondet etiam Mastrius ad argumenta contraria; & ad illud, quod delictio peccati est actus amicitia divinæ, dicit, intelligendum esse de deletione mortalium, non autem venialium; quæ sicut stare possunt cum amicitia divina, quia non privant gratia, ita deleri possunt, deficiente ipsa amicitia, & gratia; cujus vel infusio, vel concomitantia est necessaria solum pro delendis mortalibus. Ad verba Sancti Augustini respondet, quod qui crimen reservat, idest mortale, de alio non recipiet veniam, scilicet de alio mortali. Eligat studiosus ex his sibi magis placitam opinionem. Prima est communis. Secunda conformior pietati Divinæ, & conditioni hominum, ne deserant opera bona, est mortalibus culpis fini onerati. Hi igitur omnes sunt modi, quibus delentur venialia in hac præfati vita, tam in homine iusto, carente mortalibus; quam in peccatore habente simul venialia, ac mortalia.

Quod si petimus, quomodo dimittantur Venialia in alia vita; illius scilicet hominis, qui moritur in gratia, & sine peccatis mortalibus; ac cum multis venialibus, ut de facili accideret potest, eum quis nunquam doluit de venialibus commissis, & moritur cum eis: vel etiam actualiter complacentiam habet de ipsis, quando obviatur morte? Talis casus est adeo difficilis, ut in ejus resolutione Eminentiss. Cardin. de Lauræa d. disp. 15. de Pœnitentia art. 13. num. 475. referat octo diversas Theologorum opiniones. Quapropter facilitati, ac brevitati studendo, hic tres modos respondendi adducam. Primus est; quod Venialia decedentis in gratia delentur per actum charitatis in Deum, quem elicit anima in primo instanti post exitum de corpore. Ita plurimi DD. Scholastici, quos nominat Mastrius d. disp. 5. de Pœnit. num. 264. & quibus adherent Salmanticenses d. tract. 6. cap. 3. num. 51. & videntur niti auctoritate S. Thomæ Quæst. 7. de Malo art. 11. cujus sunt verba: Quandoque contingit, quod aliqui in ipsi actibus peccatorum venialium, vel in proposito venialiter peccandi, occupentur somno, vel alia passione auferente usum rationis, quibus manifestum est, quod in hac vita peccata venialia non dimittuntur: & tamen propterea non impediuntur perpetuò à vita æterna; ad quam nullo modo perveniunt, nisi omnino immunes ab omni culpa efficiantur: Et ideo oportet dicere, quod Venialia remittuntur eis post hanc vitam, etiam quantum ad culpam, eo modo, quo remittuntur in hac vita; scilicet per actum charitatis in Deum, repugnantem venialibus in hac vita commissis: quia tamen post hanc vitam non est status merendi, ille dilectionis motus in eis tollit quidem impedimentum venialis culpæ; non tamen meretur absolutionem, vel diminutionem penæ, sicut in hac vita. Sed huic modo dicendi videtur ob stare Regula illa Theologica, quod post mortem non est amplius tempus merendi, neque de congruo, neque de condigno deletionem culpæ venialis, nec satisfaciendi; sed solum satisfaciendi, juxta illud Eccl. 14. Ante obitum tuum operare justitiam, quia non est apud inferos invenire cibos. Ideo non placet Emin. Cardin. de Lauræa d. disp. 15. num. 486. neque Mastrio, aliique apud ipsum d. disp. 5. num. 265.

Secundus dicendi modus est, quod peccata venialia decedenti in charitate remittantur statim post mor-

mortem, non quidem per aliquem actum merito-  
 20 rium, quem faciat iustus post mortem; sed propter aliquem actum bonum factum à iusto in via, & acceptatum à Deo ad remissionem venialium talis hominis statim post ejus mortem. Hæc responsio est Scoti in 4. dist. 21. qu. 1. sub E, & placet Eminent. Cardin. de Lauræa, ac Mastrio, qui d. disp. 5. num. 269. respondet objectioni, seu interpellationi cujusdam requirentis, cur Deus expectaverit delere venialia post mortem illius hominis iusti respectu boni operis ab eo facti in via; & ea non deleverit ipso vivente? Respondet, inquam, & dicit, quia iustus ille ponebat obicem remissioni per complacentiam in Venialia; cessante autem complacentia, & sic remoto obice per mortem, statim Deus intuitu præcedentium meritorum delet culpas veniales. Hanc remissionem laudat, & multis argumentis corroborat idem Emin. Card. de Lauræa d. disp. 15. num. 503. & plurib. seqq.

Tertius modus respondendi questio est, quod peccata Venialia hominis iusti decedentis cum illis, remittuntur in alia vita, etiam quo ad culpam, per satisfactionem in Purgatorio; itaut nihil aliud sit delictio culpæ venialis, nisi solutio penæ temporalis debitæ pro illa; appellatione autem penæ, intelligunt hic Theologi non solum ipsam penam actualem, sed obligationem ad illam sufferendam, quam contraxit homo in vita peccando venialiter; in qua obligatione præcipue consistit reatus culpæ venialis. Ita Mastrius ex mente Scoti loc. cit. in d. disp. 5. num. 270. allegans auctoritatem Apostoli 1. Cor. 3. in illis verbis: Sic salvus eris, quasi per ignem; nam salvum fieri per purgationem ignis significat non solum liberationem à penâ, sed præcipue liberationem à culpa, consistente in prædicta obligatione luendi, ac patiendi in Purgatorio. Sed aliqui objiciunt: Ergo etiam Venialia damnatorum in Inferno delebuntur, & quo ad penam, & quo ad culpam per satisfactionem. Negatur consequentia quo ad culpam, quia damnati non solum liberentur penas, sed cum murmuratione eas sustinent, & cum contumacia, juxta illud: Superbia eorum, qui se oderunt, ascendit semper. Psalm. 73. 23. At in Purgatorio cum conformitate Divinæ Justitiæ, ut plura exempla testantur apud pios Scriptores. Ex his tribus modis eligat studiosus, quem sibi magis satisfacere putat: ut sciat respondere petenti, Quomodo delentur in alia vita culpe veniales iustorum, qui earum deletionem non obtinuerunt ante mortem.

His ita constitutis circa materiam culpæ venialium, resumenda est principalis Questio, in principio hujus Decisionis proposita: Quid dicendum Moribundo valenti, sed nolenti confiteri peccata venialia; eo quia reperit mortalia consistenda non habere? Eminentiss. Cardin. de Lauræa in d. tom. de Pœnit. disp. 11. art. 3. numer. 24. hæc verba posuit: Volunt Auctores multi, posse aliquando veniale esse obiectum Confessionis ex necessitate in duobus casibus. Primo quando urget præceptum confitendi tempore Paschæ, & in mortis articulo. Secundo, quando Penitentis dubitat, an sit mortale, vel veniale. De prima parte primi casus, scilicet de obligatione confitendi Venialia ob præceptum Confessionis tempore Paschæ, ipse Eminentiss. Cardinalis tractat in disp. 24. art. 2. num. 98. ubi tenet, non esse obligationem confitendi venialia, quia idem præcipit Ecclesiæ, quod præcepit Christus; sed Christus præcepit solum Confessionem mortaliū, ut definitum est in Concilio Tridentino sess. 14. cap. 5. De secunda parte, scilicet de obligatione confitendi Venialia tempore mortis, nullibi amplius locuta est Eminentia sua in toto illo voluminoso opere; ideo responsio ad Questionem sumenda est à Gobato in sua Theolog. Experim. tractat. 6. numer. 253. ita scribente: Di-

xi, quemvis reum peccati mortalis obligari præcepto Confessionis in articulo mortis; nec enim per se loquendo graviter delinqueret, qui nullius mortalis noxæ ab ultima ante trimestre Confessione admittæ nolle confiteri, sed præcisè diceret suo Parocho: Non volo confiteri, quia revera non deprehendo in mea conscientia ullum grave peccatum; nec posset meo iudicio negari huic homini seu Viaticum, seu Extrema Unctio. Ego tamen non desisterem, donec mihi talis aperiret cum voluntate percipiendæ absolutionis aliquod Veniale; sicut & hortarer illum, qui triduo, vel quadriduo ante fuisset, nihil de morte cogitans, confessus; ac diceret, se ex eo tempore sibi diligenter cavisse ab omni gravi peccato. In utroque casu ita procederem; tum ad indirectam remissionem mortalis, si quod forte lateret in animo: tum ob gratiam Sacramentalem; tum ad satisfaciendum consuetudini universali fidelium, tum singulariter in primo casu ad evitanda scandala, & domesticorum tristitia, timoreque. Huc usque Gobatus.

Uterius prædicto Moribundo suggerendum flavet, expedit, ut detestetur venialia, & ea Clavibus Ecclesiæ per Sacramentalem Confessionem subjiciat, ad hoc ut absolutionem obtineat in hac vita à reatu culpæ, & dimissionem partis penæ; ne in Purgatorio per nimiam satisfactionem cogatur ab utraque in igne purgari; ac etiam ut effectum Indulgentiarum consequatur, si in aliqua pia confraternitate sit descriptus, quem inutilem reddit affectus, & complacentia ipsæ culpis venialibus; non enim remittitur penâ, nisi prius sit deleta culpa. Suarez de Pœnit. disp. 50. sect. 1. numer. 11. Navarrus de Jubilæo notab. 10. num. 12. & Passerinus de Indulgent. num. 82. Culpæ autem, et venialis, non dimittitur, absque penitentia, ac dolore de ipsa. Idem Suarez disp. 11. sect. 1. numer. 5. Eminentiss. Cardin. de Lago de Pœnitent. disp. 9. sect. 2. à n. 12. Et hæc est causa, cur tot ac tantæ animæ Religiosorum, & Sanctimonialium legantur addicte penis Purgatorii post mortem, quamvis pro eis perpetua Indulgentia plenaria concessa sit à Paulo Papa V. in articulo mortis in sua Constit. 21. quæ incipit Romanus Pontifex. Data sub die 23. Maii 1606. de qua idem Passerinus quæst. 98. n. 861. Causa, inquam, hæc est, quod decedunt cum affectu, seu complacentia ad aliqua peccata venialia, vel circa proprietatem, vel circa propriam voluntatem, contra vota paupertatis, & obedientiæ; vel circa passiones immortificatas contra charitatem fraternam, aut amorem proprium; sive in diversis negligentis regularem perfectionem retardantibus; & ob eas culpas, quas etiam veniales, non curantur sibi dimitti ante mortem per penitentiam, detestationem, ac retractionem, obligantur post mortem, eas luere & quo ad reatum, & quo ad penam in atrocissimo igne Purgatorii; ut testatae sunt plurimæ animæ Regularium utriusque sexus in earum apparitionibus, ad effectum obtinendi suffragia, factis Ven. Franciscæ à SS. Sacramento Car. 26 melitæ Discalearæ (quæ feliciter obiit Anno 1631.) impressis Venetiis typis Stephani de Curtis Anno 1680. quas commentarius illustravit Illustrissimus, ac Reverendissimus Mendoza Episcopus Omsenis, ut recensui supra in hoc tractatu Decif. III. num. 13. & seqq. ubi de jisdem Religiosis animabus in Purgatorio detentis verba feci.